

» prefatos Grecos quomodolibet commissas et pendentes ad nos  
» advocantes, venerabili fratri Fabio episcopo Lucerino tunc nostro  
» et ejusdem sedis in dicto Dominio nuncio, ut vocatis vocandis de  
» premissis omnibus et singulis eorum circumstantiis universis se  
» auctoritate nostra diligenter informaret et causas hujusmodi in  
» statu debito terminaret, nec non presbyteros Grecos decreta con-  
» cilia hujusmodi servantes ad dictam ecclesiam s. Georgii restitue-  
» ret, reponeret et reintegraret, eos vero qui decreta hujusmodi  
» servare nollent, privilegiis immunitatibus et exemptionibus eis per  
» sedem predictam concessis gaudere non permetteret, omnibusque  
» conservatoribus prefatis grecis, etiam per sedem eandem depu-  
» tatis, ne eis circa usum privilegiorum, immunitatum et exemptio-  
» num hujusmodi assisterent in talem eventum dicta auctoritate etiam,  
» sub censuris ecclesiasticis inhiheret, et quod ex tunc de cetero  
» non nisi, qui dicta decreta servassent in ecclesia s. Georgii hu-  
» jusmodi celebrarent, provideret, ac omnia et singula alia in pre-  
» missis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna statue-  
» ret, ordinaret et disponeret, ac que decrevisset per censuras ec-  
» clesiasticas et alia juris remedia firmiter et inviolabiliter observari  
» facerent per nostras in forma brevis litteras commisimus et man-  
» davimus, prout in singulis, tam Leonis et Clementis predecesso-  
» rum, quam nostris litteris hujusmodi plenius continetur. Cum au-  
» tem sicuti dilecti filii nobiles mercatores et alii nationis Grece  
» in eadem civitate Venetiarum ad presens commorantes, nuper  
» nobis exponi fecerunt ipsi non solum latinos, aut decreta concilii  
» hujusmodi servantes Grecos, tam presbyteros quam laicos aliquo  
» modo hereticos aut schismaticos non nominent, nec decreta hujus-  
» modi negligant, aut censuras per presules seu alios ordinarios la-  
» tinos pro tempore latas villipendant, sed etiam censuris hujusmodi  
» cum omni reverentia pareant, et juxta catholicos ritus orientalis  
» ecclesie rite et recte viventes, decreta consilii hujusmodi ad un-  
» guem observent, et in posterum dante Domino vivere et observare  
» proponant, quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut omnes et